



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam  
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum  
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Pro animæ post hanc vitam perfecta glorificatione, Precatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

sibi soli, cui me totum debeo, quatenus anima mea possit huius calamitosæ vitæ æsummas sempiterno gaudio tecum in æterna beatitudine refici & exultare mereatur, Amen.

*Iesus Christus vi suam glorificationem humanitatem omnesq; electas animas ex limbo liberatas Patri æterni conspectus gaudissime representavit.*

## GLORIFICATIO X.

**A**ve gloriosissime Rex regum, & Dominus dominantium, Christe Iesu: Adoro, benedico & laudo te pro illo ineffabili gaudio, quod sanctissima anima tua habuit, quando te in pignus & pretium redemptionis æternæ cum copiosa animarum multitudine ex inferno per te liberata una, tecum ascendentiura, & inestimabili gaudio iubilantium, Deo Patri presentasti.

*Pro anime post hanc vitam perfectæ glorificatione, Precatio.*

**T**esu benignissime, Dei & hominum mediator, per illud suavissimum gaudium rogo te, vt in hora mortis meæ, sis animæ meæ pignus & pretium, persolvens omne debitum meum, placandus mihi Deum patrem & iudicem æquissimum, perducas animam meam ante conspectum ipsius placidissimum, repellens quosdam me omnes insidiantes mihi, atque querentes animam meam perdere, Amen.

*Iesu Christo vi à Patre celesti data su omniu potestati in celo & in terra.*

## GLORIFICATIO XI.

**A**ve fons omnis gratiæ, & thesaurus beatitudinis æternæ Iesu elementissimus Adoro, benedico & laudo te pro illo ineffabili gaudio quod habuisti quando à Deo Patre tibi data est omnis potestas in celo, & in terra, remunerandi, ditandi & honorandi secundum liberalitatis tuæ magnificentiam omnes commilitones & amicos tuos, quos tam glorioso triumpho de tyrannica potestate liberaisti.

*Pro vita Iesu perfectæ imitatione, virtutumq; & meritorum ipsius participatione, Precatio XI.*

**O** Iesu suavissime, per illud gaudium suavissimum rogo te, fac me participi omnium laborum & operum sanctissime vitæ, passionis & mortis tuæ. Trahe me post te, vt libenter te sequar & per viam despectionis & tribulationis desideranter gradiar, quatenus tua gratia me confortante, & ducete, fidelissimus vitæ tuæ, humillimus & feruentissimus imitator inueniar in patientissima tribulationum sufferentia, deuotissimamq; virtutum imitatione, Amen.

*Iesus Christus vi plenum ius & dominium super cunctos suos suscepit à Patre electos & amicos.*

## GLORIFICATIO XII.

**A**ve fons & origo, inchoatio & consummatio omnium honorum, mellisus mi Iesu Christe: Adoro, laudo & benedico te pro illo inestimabili gaudio, quod habuisti, quando Deus Pater donauit tibi omnes amicos tuos in æterna hæreditate possidendos: quando impleta fuit illa benignissima petitio & voluntas tua, qua dixisti: *Volo Pater, vt sis vnus sicut & nos vnus sumus vt vbi ego sum, illic sit & minister meus: hoc est, vt omne gaudium & omne bonum quod tu ipse & ego sumus, ipsorum sit finis sine.*